

teste *Iosepho a Tito* fuere in excidio huius urbis conservatae.

COROLLARIUM. Ex hac relatione excidii Hierosolymitani, quae ex synchronis scriptoribus desumpta est, patet, non iam timendum esse, ne homo sanae mentis ob auctoritatem *R. Benjamin Tudelensis* veritatem praedictionis Christi de omnimoda devastatione Hierosolymae impugnare ausit. Ille rabbinus, ut ostendimus, nullam fidem meretur, utpote qui plurimas fabulas, absurditates et contradictiones suo itinerario inseruit, et aedificia adhuc extare narrat, quae tamen iam mille annis, antequam ipse nasceretur, diruta sunt.

202. OPPON. II. Teste *D. de Morrison* (1) etiamnum de veteri Hierosolyma extat, et visitur *porta aurea*, per quam Christus Dominus in die palmarum super asinam sedens, cum triumpho Ierusalem ingressus est. Habetur autem ex antiqua traditione, *Titum* hanc solam portam ex omnibus portis urbis in excidio Hierosolymae non destruxisse; ergo vetus Hierosolyma non fuit penitus devastata. R. Et dico: *Calmetus* ex s. Scriptura, et ex *Iosepho* accurate recenset singulas huius urbis portas, nec tamen alicuius portae inauratae aut aureae meminit, claro indicio, quod nulla talis porta veterem Hierosolymam exornarit. Dein etiamsi ea extitisset, tamen in excidio huius urbis per romanos diruta fuisset; cum *Iosephus* synchronus testetur, totam civitatem ab illis fuisse eversam, exceptis solum tribus turribus, et aliqua parte muri. Caeterum illa rudera, quae dicuntur fuisse *porta aurea* veteris Ierusalem, solum probant, quod sint reliquiae non veteris, sed novae Hierosolymae ab *Adriano* vel

(1) Voyage de Jérus. I. 2, c. 15.

Constantino aedificatae in loco non procul distante a situ veteris Ierusalem. Plura de hac tota quaestione erudite disserit cl. *Bullet*, loc. cit.

203. QUERES V. Num verisimile sit, quod *diabolus* (uti *Matthaeus* cap. 4 narrat) *Filium Dei naturalem variis tentationibus fuerit aggressus, eundemque ASSUMERE IN SANCTAM CIVITATEM, ET STATUERE SUPER PINNACULUM TEMPLI, AUT IN MONTEM EXCELSUM tollere potuerit, omnia mundi regna spectaturum?* R. Haec quidem Filio Dei indigna videntur deistis, et etiam illi scriptori anonymo, contra quem supra (2) actum est; quique inter alia ait: *Sufficit hunc solum locum (Matthaei) adducere, ad horrorem excitandum.* Verum horror iste cessabit, si adversarii rite perpenderint, non ipsam divinitatem seu naturam divinam, sed humanitatem Christi Verbo divino unitam fuisse tentatam, et e loco in locum a daemone translata. Natura enim divina nec a daemone tentatione affici, nec e loco in locum, cum sit immensa, transferri potest. Sed humanitas Verbo unita, sicut pati et mori potuit, sic etiam tentari a daemone per suggestionem externam; idque ex sapientissimis finibus, tum ut sic gloriosum de superato cacodaemone triumphum ageret, tum ut se reliquis hominibus similem, etiam in tentationum palaestra, absque peccato tamen, et fomite peccati comprobaret: tum denique, ut *Augustinus* ait, ut nos suo exemplo doceret, cum infernali hoste viriliter decertare. Eleganter hanc rem explicat, et hic allatam ab adversariis obiectionem pridem praeoccupavit s. *Gregorius M.* (3) his verbis: Vere et absque ulla

(2) Quaeres 4.

(3) Homil. 16 in evang.

quaestione convenienter accipitur, ut (Christus) a sancto Spiritu in desertum ductus credatur, ut illic eum suus spiritus duceret, ubi hunc ad tentandum malignus spiritus inveniret. Sed ecce, cum dicitur Deus homo vel in excelsum montem, vel in sanctam civitatem a diabolo assumptus, mens refugit credere, humanae hoc audire aures expavescent. Qui tamen non esse incredibilia ista cognoscimus, si in illo et alia facta pensamus. Certe iniquorum omnium caput diabolus est, et huius capitis membra sunt omnes iniqui. An non diaboli membrum fuit Pilatus? An non diaboli membra iudaei persequentes, et milites crucifigentes Christum fuerunt? Quid ergo mirum, si se ab illo permisit in montem duci, qui se pertulit etiam a membris illius crucifigi? Non est ergo indignum Redemptori nostro, quod tentari voluit, qui venerat occidi. Iustum quippe erat, ut sic tentationes nostras suis tentationibus vinceret, sicut mortem nostram venerat sua morte superare. Sed sciendum nobis est, quia tribus modis tentatio agitur, suggestione, declaratione et consensu. Et nos cum tentamur, plerumque in delectationem aut etiam in consensum labimur; quia de carnis peccato propagati in nobis ipsis gerimus, unde certamina toleramus. Deus vero, qui in utero Virginis incarnatus, in mundum sine peccato venerat, nihil contradictionis in semetipso tolerabat. Tentari ergo per suggestionem potuit, sed eius mentem peccati delectatio non momordit. Atque ideo omnis diabolica illa tentatio foris, non intus fuit. »

Ex his verbis magni doctoris ec-

(1) Vide *Cornelium a Lap.* comment. in *Matth.* c. 4, v. 5.

(2) Vide *Cornel. a Lap.* loc. cit.

(3) L. 6 de Bello iud. c. 6.

clesiae patet I. omnem hanc tentationem Christi factam esse solum per vocem, seu suggestionem externam, non vero per internam. In interiora enim (id est, in animum et phantasiam Christi Domini) diabolus nullam habuit potestatem (1). II. Haud necesse esse, cum *Cypriano*, *Maldonato*, et aliis realem Christi translationem a daemone factam negare, et hunc locum *Matthaei* alio modo (2) explicare. Non enim Deo indignum aut inconveniens erat, realem illam translationem permittere, ut ex s. *Gregorio M.* audivimus.

204. INSTANT I. Templum Ierosol., prout *Iosephus* (3) testatur, in summo (id est, in tecto) aureis verubus (seu cuspidibus) horrebat acutissimis, ne ab insidentibus avibus pollueretur; ergo diabolus non potuit Christum super pinnaculum templi statuere. R. Nego suppositum, quod pinnaculum templi fuerit ipsum templi tectum, de quo *Iosephus* ait, illud aureis aculeis horruisse. Audiamus verba *Calmeti*, hac de re doctissime (4) ita pronuntiantis: « Pinnaculum hoc templi erat - lorica murorum regnans circa tectum (templi) - Constat enim in Palaestina aedes habuisse areas superiores lorica murorum septas, ut lapsus prohiberent, quae etiam cautio in lege praescripta est, Deut. 22, v. 8. Docet *Iosephus* templi culmen munitum fuisse cuspidibus aureis praealtis, quibus prohiberentur ab accessu aves, ne tectis illis insidentes foeditate aliqua sanctitatem aedificii violarent. Non igitur super tectum illud constitutus fuit Iesus Christus, sed super lorica murorum circa regnantem. »

(4) In dictionario suo bibl. v. *Pinnaculum*. Eandem doctrinam etiam tradit comment. in *Matth.* c. 4, v. 5.

INSTANT II. Et irrisorio modo quaerunt deistae (1): Ubinam terrarum sit ille mons tam excelsus, ut ex eius vertice (uti Matthaeus loc. cit. ait) *omnia regna mundi et gloria eorum* videri possint? R. Utique nullus mons in orbe terrarum adeo excelsus est, ut ex eius vertice omnia mundi regna, vel etiam solum nostrum hemisphaerium terrestre integrum videri possit. Cum enim globus terraqueus sit rotundus, et radii visivi recta propagentur, non possunt tantopere inflecti, ut nobis omnes terrae partes infra horizontem positas repraesentent. At diabolus alio modo *omnia regna mundi et gloriam*, splendorem, et fastum eorum Christo ostendere potuit, nimirum in imagine, aërem sic temperando et illustrando, ut omnia illa simul repraesentaret, et ob oculos poneret, sicut etiam nunc varia hominibus spectra daemon, quasi ante oculos depicta obicit, ut *Theophylactus* ait, et sicut etiam Deus aliquando totum mundum *s. Benedicto* obiecit in globo, teste *s. Gregorio M.* (2). Atque haec explicatio est communis interpretum.

205. Alii vero (3) dicunt, diabo-

(1) Ita testatur *cl. Bullet*, Réponses critiques, tom. 5, n. 40.

(2) Visionem hanc *s. Benedicti* narrat *s. Gregorius M.* l. 2 Dial. cap. 55, his verbis: « Vir Dei *Benedictus* quiescentibus adhuc fratribus instans vigiliis... ad fenestram stans, et omnipotentem Deum deprecans, subito intempesta noctis hora respiciens, vidit fusam lucem desuper cunctas noctis tenebras effugasse, tantoque splendore clarescere, ut diem vinceret lux illa quae in tenebris radiasset. Mira autem res valde in hac speculatione secuta est; quia sicut post ipse (*s. Benedictus*) narravit, omnis etiam mundus velut sub uno solis radio collectus, ante oculos eius adductus est. Qui venerabilis Pater (*Benedictus*) dum intentam oculorum aciem in hoc splendore coruscæ lucis infigeret, vidit *Germani Capuani* e-

lum Christo ostendisse omnia regna mundi, non ita, ut ea oculis conspicienda obiecerit, sed, cuiusque regni mundi plagam digito designaverit, dicens: in hac parte positum est regnum romanorum, in ista vero persarum, et in illa assyriorum, et sic de caeteris: nec tamen omnia regna distincte et seorsim ostendit, sed partem eorum maiorem, quae solet saepissime pro toto sumi.

DICES I. Solo digito intento non ostenditur gloria, sive ut *Lucas* (4) ait, *potestas universa et gloria regnorum mundi*. Respondet *cl. Weisenbach* (5), esse hebraismum, qui innuit, diabolus extulisse verbis, qua maxime re, quodvis illorum regnorum praestaret. Sic etiam *cl. Bullet* (6), rem explicat, dum contendit, diabolus Christo omnia regna mundi et gloriam eorum ostendisse oratorio modo, exponendo eorum gloriam, splendorem et magnificentiam.

DICES II. Iuxta *Lucam* (7) daemon ostendit Christo *omnia regna orbis terrae in momento temporis*: sed in momento non potuit a diabolo fieri oratoria descriptio omnium regnorum mundi. Respondet *Bulletus* vocem *momentum* hic non

piscopi animam in sphaera ignea ab angelis in coelum ferri. Ita *s. Gregorius M.* addens, postea *s. Benedictum* ex monacho, quem Capuanam in urbem illico misit, veritatem rei indagaturum, intellexisse, quod *Germanus* episcopus eodem momento obierit, quo ipse eius ascensum in coelum cognovit. Porro de hac visione *s. Benedicti* plura erudite scripta invenies apud *Barradium* tom. 2 comment. in concordiam et historiam quatuor evangel. l. 2, c. 5.

(3) Nimirum *s. Thomas* in *Matth.* c. 4 et 5 part. Summae theol. q. 41, art. 4 ad 7. *Caiet.*, *Carthus.*, *Lyran.*, *Albertus M.*, *Abulens.* q. 49, et aliorum.

(4) Cap. 4, v. 5.

(5) P. 5 nov. form. theol. bibl. lib. 2, q. 16.

(6) Loc. cit. (7) Cap. 4, v. 5

significare punctum temporis, sed tempus modicum, seu perbreve. Favet huic responsioni textus *syriacus*, qui *Luc. 4, v. 5*, ita habet: *ostendit ei omnia regna terrae modico tempore*. Praeterea aliunde constat, quod vox *momentum* in Scriptura non raro significet tempus modicum quidem, sed tamen aliquantulum durans. Sic *Thren. 4, v. 6*, dicitur, quod *Sodoma* fuerit in momento subversa; scimus autem ex *Genes. 19, v. 24*, quod igne coelitus depluente cremata et subversa fuerit: atqui concrematio urbis non fit in puncto unico temporis. Hinc *cl. Weitenauer* in bibliis latinis a se editis citatum versum ita exponit: *Quae (Sodoma) quasi momento eversa est*. Aliud exemplum habemus *Isa. 26, v. 20*, ubi dicitur: *Vade populus meus, intra in cubacula tua, claude ostia super te, abscondere modicum ad momentum, donec pertranseat indignatio*. Ubi textus graecus habet: ἀποκρύβητι μικρὸν ὄσον ὄσον, abscondere modicum aliquantulum, i. e. brevissimo temporis spatio, prout etiam *Menochius* illud *Luc. 4, v. 5*, ostendit illi omnia regna in momento temporis, explicat.

COROLL. Ex allatis responsionibus sat elucescit, deistas, aut alios incredulos ex tentationibus Christi a diabolo factis, nihil posse contra veritatem evangelii evincere. Caeterum supponimus hic demonstratam diaboli existentiam et potestatem. Si quis autem plura de hoc argumentolegere cupit, adeat *cl. Weisenbach* (1), aliosve recentiores auctores, qui *Semlerianorum* hac de re obiectiones exponunt et dissolvunt.

206. QUÆRES VI. *Cur Christus iudaeis signum aliquod petentibus, tam obscure et aenigmaticè* (Ioan. 2,

(1) Loc. cit. q. 15. (2) Loco non uno. (3) In cap. 2 Ioannis, homil. 22.

v. 19 et 21.) responderit: SOLVITE TEMPLUM HOC, ET IN TRIBUS DIEBUS EXCITABO ILLUD - ILLE AUTEM DICERAT DE TEMPLO CORPORIS SUI; cum tamen in mundum venerit, tanquam orbis magister ad illuminandum omnem hominem? Hanc quaestionem proponit inter alia dubia sua anonymus ille scriptor, quem supra (2) ex instituto refutavimus. Verba eiusdem sunt ita quaerentis: *Decetne, Deum obscure aut ambigue loqui ad homines, qui iure veritatem ab eo requirebant, quia venit mundum docturus veritatem?* R. Merito Iesus coram iudaeis non clarius locutus est; quoniam eorum incredulitatem atque cordis nequitiam exploratam habebat. Malo enim animo iudaei illum interrogabant, et suo vitio indigni erant, quibus veritas clarius aperiretur. Unde quaerit *s. Chrysostomus* (3) de hoc loco Scripturae disserens: *Quare dubitantibus non aperuit, se templum carnem suam appellare? ac respondet: Quoniam ipsius verbis fidem non adhibuissent iudaei*. Caeterum illud Christi effatum propheticum fructu tamen non caruit; nam ut evangelista (4) mox addit: *Cum ergo resurrexisset a mortuis, recordati sunt discipuli, quia hoc dicebat, et crediderunt Scripturae, et sermoni quem dixit Iesus*. Quod autem pertinaces iudaeos attinet, licet coram eis divinus Magister hoc loco non clarius locutus sit, tamen alias tot tantaque coram eis operatus est, ut ii prorsus sint inexcusabiles. Unde Christus alibi (5) ait: « Si opera non fecissem in eis, quae nemo alius fecit, peccatum non haberent; nunc autem et viderunt et oderunt et me et Patrem meum. »

207. QUÆRES VII. *An verisimile sit, quod, licet Christus* (Matth. 16 v. 21 et *Luc. 18 v. 32 et 33*) di-

(4) Vide Ioan. c. 2, v. 22.

(5) Ioan. c. 15, v. 24.

scipulis suis claris verbis praedixerit passionem et resurrectionem suam: EXINDE COEPIT IESUS OSTENDERE DISCIPULIS SUIS, QUIA OPORTET EUM..... MULTA PATI..... ET OCCIDI, ET TERTIA DIE RESURGERE; Et: TRADATUR ENIM GENTIBUS, ET ILLUDETUR, ET FLAGELLABITUR, ET CONSPUETUR, ET..... OCCIDENT EUM, ET TERTIA DIE RESURGET: tamen (ut Lucas loc. cit. v. 34 addit) discipuli Iesu nihil horum intellexerint? Ita denuo obiicit Anonymus scriptor, contra quem quaest. V praecedente num. 199 et saepius alibi egimus. Nam inter alia ad Christophorum de Zabuesnig hunc in modum scripsit: « S. Matthaeus ait, Iesum adhuc ante mortem suam apostolos de sua passione, morte et resurrectione pluries edocuisse. Itaque haec sciverunt apostoli. Addit evangelista, quod iidem ideo valde fuerint contristati, et quod Petrus responderit: Absit a te, Domine: non erit tibi hoc. Quod est patens argumentum, apostolos illa magistri sui verba perbene intellexisse, ss. Marcus et Lucas id ipsum (nempe quod Christus apostolos de sua passione etc. edocuerit), testantur, sed addunt, eos nihil horum intellexisse. Profecto nescirem, unde me extricarem, si evangelistae hic sibi contradixissent. » Ita ille.

Sed R̄. Nullum prorsus est periculum, ne evangelistae sibimet ipsis contradixerint. Nam, ut Maldonatus (1) optime observat, verba illa Lucae c. 18 v. 34, Et ipsi nihil horum intellexerunt, non ita accipienda sunt, quasi Christi verba non intellexerint, quibus significaverat, se ad passionem et mortem progredi; sed ita, ut passionis et mortis eius mysterium non comprehende-

(1) Comment. in Matth. c. 20, v. 19.

(2) Cap. 10, v. 32.

rint, neque cognoverint, passione ac morte sua Christum salutem universo hominum generi allaturum. Si enim verba illa non intellexissent, non mirati fuissent, Christum animo tam alacri et resoluti ire Hierosolymam ad instantem crucem et mortem, neque mortis periculum timuissent; prout tamen s. Marcus (2) testatur his verbis: Erant autem ascendentes Hierosolymam: et praecedebat illos Iesus, et stupebant; et sequentes timebant. Quem textum interpretes (3) hoc sensu exponunt, quod discipuli stupuerint tantum animi fervorem in Christo, quo ipsos praecessit in via Hierosolymam ad crucem et mortem sustinendam, et timidi secuti sint, quia meminerant sermonis eius, quo se multa passurum dixerat a summis sacerdotibus et scribis, et occidendum etc., metuentes ne et ipsi cum magistro suo eodem periculo involverentur. Igitur s. Lucas, dum loc. cit. ait: Nihil horum (apostoli) intellexerunt, non negat, illos intellexisse grammaticalem sensum verborum, quibus Christus ipsis passionem et mortem suam praedixerat, sed solum innuit, illos tunc necdum intellexisse mysterium passionis et mortis Christi. Necdum enim tunc intelligebant, quomodo impassibilis et immortalis divinitas Christi stare posset cum passione et morte unitae humanitatis: necdum tunc sciebant, quod redemptio humani generis per divinum decretum alligata esset passioni et morti Christi. Sic hoc ipsum mysterium ignotum erat Petro, dum (4) dixit: Absit a te, Domine; non erit tibi hoc; quasi diceret: Passio et mors, quam praedicis, non accidet tuae humanitati. Id enim non patietur tua

(3) Vide Cornelium a Lap., Tirinum, Calmetum, etc. in Marc. c. 10, v. 32.

(4) Matth. c. 16, v. 22.

divinitas. Unde Christus increpans Petrum, subiunxit: Vade post me, Satana, scandalum es mihi, quia non sapis ea quae sunt Dei, id est, nondum plane intelligis mysterium passionis et mortis meae, quod per eam redemptionem et salutem hominum meriturus et procuraturus sim.

SCHOLION: Scriptor anonymus, quem hic refutamus, etiam in eo errat, quod in suo scripto supra a nobis recitato dicat, tam Marcum, quam Lucam addere, apostolos nihil horum intellexisse; cum tamen id addat solus Lucas, non vero Marcus.

208. QUÆRES VIII. An Christus furtum aut rapinam commiserit, dum (Matth. 21 v. 1 et seqq.) DUOS DISCIPULOS MISIT IN CASTELLUM, UT ASINAM IBI ALLIGATAM, ET PULLUM CUM EA SOLVERENT, ET SIBI ADDUCERENT? R̄. Affirmat id quidem auctor de l'histoire critique de Jésus Christ, pag. 206 ita scribens: Ex iussu Iesu asina et pullus cum ea subripiebatur. Verum, ut el. Bullet (1) ait, memoratus auctor hanc blasphemiam ex alio quodam deista transcripsit, qui audacter asserit, Iesum Christum hac occasione alienum bonum subduxisse, et discipulis suis exemplo fuisse, alienis bonis afferendi manus.

Verum satis mirari nequeo horum incredulorum crassam ignorantiam vel malitiam, aut utramque simul. Nam quis non omnino rudis nescit, Messiam, Deum et Dominum omnium haec absque alicuius iniuria facere potuisse? Dein quis vel leviter iuris aut morum scientia imbutus igno-

(1) Réponses critiques, tom. 5, n. 46.

(2) Cap. 11, v. 4, et seqq.

(3) Sic Christus Matth. c. 21, v. 2 et 5, ad duos illos discipulos ait: Ite in Castellum... et statim invenietis asinam alligatam, et pullum cum ea: solvite et addu-

cite mihi; et si quis vobis aliquid dixerit dicite quia Dominus his opus habet; et confestim dimittet eos. Vide etiam Marc. c. 11, v. 2 et 5.

rat, nec furtum nec rapinam esse, si quis alterius re, domino non invito, imo hoc consentiente utitur? Atqui Iesus, quamvis tamquam Messias, Filius Dei et Dominus omnium iure suo summo asina illa et pullo eius uti potuisset, tamen, quia eius providentia operatur uti fortiter, sic et suaviter, noluit invitis et non consentientibus iis, ad quos iumenta illa tanquam dominos aut possessores pertinebant, abduci: quare virtute divinitatis suae, eorum inflexit animos, ut solventibus apostolis asinam cum pullo lubentes assentirentur; prout Marcus (2) expresse testatur his verbis: Et abeuntes (duo ex discipulis Christi) invenerunt pullum ligatum ante ianuam foris in bivio: et solvunt eum. Et quidam de illis stantibus (nempe domini huius pulli, ut Lucas c. 19, v. 33 distincte ait) dicebant illis: Quid facitis solventes pullum? qui dixerunt eis sicut praeceperat illis Iesus (nimirum Domino esse necessarium hunc pullum), et dimiserunt eis, hoc est, permiserunt pullum cum asina abduci; prout Christus iam praevidit et iisdem discipulis (3) claris verbis praedixit. Plura de praesenti quaestione inveniet studiosus lector apud Bulletum loc. cit.

209. QUÆRES IX. An Christus, salva sua sanctitate et sapientia, Iudae Iscarioti, sicut caeteris apostolis, in coena ultima corpus et sanguinem suum dare potuerit? R̄. Christus non solum potuit, sed utrumque Iudae actu dedit. Atque haec sententia est communis, et in ecclesia tam latina quam graeca, teste Calmeto (4)

(4) Comment. in Ioan. c. 13, v. 50.

recepta, ac ab *Augustino* (1), *Cypriano* (2), *Cyrillo Hieros.* (3), *Bernardo* (4), *Thoma* (5), aliisque quam plurimis asserta. Porro, quod haec sententia sapientiae et sanctitati Christi nequaquam contraria sit, sic ostendo. Christus dans Iudae eucharistiam, malitiam huius proditoris non intendit, sed dumtaxat permisit: causas autem eam permittendi iustissimas habuit, quales ab interpretibus communiter assignantur hae duae. I. Ut sacerdotibus exemplum daret, peccatores occultos non esse a sumptione eucharistiae expellendos. II. Ut omnem occasionem *Iudae* auferret male faciendi, quam assumere potuisset, si in aliquo ab aliis discipulis ante apertam eius malitiam fuisset discretus, denegando ei eucharistiam caeteris datam, et sic exasperaretur. Et profecto hanc utramque rationem assignat s. *Thomas* (6) his verbis: *Dicendum..... quod Christus corpus suum in coena cum aliis discipulis Iudae dedit, ut nobis exemplum daret, quod peccatoribus occultis non essent sacramenta deneganda, et ut omnem occasionem ei auferret male faciendi, quam assumere potuisset, si in aliquo ab aliis discipulis ante apertam malitiam fuisset discretus.*

210. At DICES I. Hae duae rationes solum valent ex supposito, quod Christus noluerit *Iudam* sub alio praetextu, vel alio quocumque demum modo a sumptione eucharistiae remove sine manifestatione eius malitiae: quod tamen facillime facere potuisset, et, ut videtur, de-

(1) Tract. 62 in Ioan.

(2) Sermone de ablutione pedum.

(3) Catech. 15.

(4) Sermone in coena, quae incipit: *Panem Angelorum.*

(5) 3. p., q. 81, art. 2. Et in 4, distinct. 11, q. 5, a. 2. Et in c. 15 Ioan. lect. 3 et 4.

buisset. Nam, ut quidam ex adversariis inquit: « Si aliquis sacerdos sciret, peccatorem aliquem occultum velle eucharistiam accipere: possetque facile illum a mensa (eucharistica) sine ullo peccati indicio remove, id deberet facere, peccatoque gravi se obstringeret, si non removeret. Christus sciebat, *Iudam* peccatorem esse occultum, et potuit eum facillime a mensa sine peccati ulla manifestatione depellere..... ergo credendum est, id fecisse, quod quilibet sacerdos facere modo debet. » Verum R. Magna est disparitas inter Christum, et alium quemvis sacerdotem. Christus enim habuit rationes graves et iustas permittendi indignam sumptionem eucharistiae in *Iuda*, quas non habent alii sacerdotes. Nam I. Haec ipsa porrectio eucharistiae a Christo *Iudae* tam amanter facta, haud dubie erat inter alia beneficia, media, et monita, ut *Iudas* suam malam voluntatem mutet et convertatur; simulque ut Christus nobis esset exemplo, quanta caritate et longanimitate corrigendo proximo, etiamsi praevideamus, nostra monita et media alia nil profutura, debeamus insistere. Audiamus hanc de re loquentem (7) *Chrysostomus*: *Itaque cum (Christus) sciret, Iudam non esse revocandum a prodicione, non tamen cessavit, assiduis consiliis, monitis, beneficiis, minis, demum omni doctrinae specie a prodicione retrahere..... Hoc autem fecit nos instituens, ut etiamsi praesciamus futurum, ut fratres non obtemperent, tamen quidquid in nostra fuerit facultate, praestemus... Vide*

(6) In 4, dist. 11, q. 5, a. 2 in o. Vide etiam 5 p., q. 81, a. 2, in o, et ad secundum.

(7) Tom. 2 in Lucae, cap. 16. Concion. de Lazaro. Edit. Antverp. an. 1614, p. 551.

*autem quanta assiduitate, quantaque sapientia illum cohibuerit. UNUS VESTRUM ME PRODITURUS EST (Matth. 26, v. 21). Ac rursus: NON DE OMNIBUS LOQUOR, NOVI, QUOS ELEGI (Ioan. 13 v. 18). Et: UNUS EX VOBIS DIABOLUS EST (Ioan. 6, v. 71). Addere poterat idem s. pater etiam hoc beneficium, quod Christus *Iudae* cum caeteris discipulis dederit corpus et sanguinem suum, et revera id alibi (1) addit, dicens: *Cum manducarent..... et biberent, ACCEPIT (Christus) PANEM, ET FREGIT, ET DIXIT, HOC EST CORPUS MEUM..... Et iterum: ACCEPIT CALICEM, ET DIXIT: HIC EST SANGUIS MEUS..... Et praesens Iudas erat, ista Christo dicente..... O Christi misericordia, o Iudae dementia! ille eum triginta denariis paciscebatur, ut venderet, et Christus ei sanguinem, quem vendidit, offerebat, ut haberet remissionem peccatorum, si tamen impius existere noluisset: nam affuit Iudas et illius sacrificii communicationem meruit, etc. III. Christus etiam ex hac ratione sacrilegium *Iudae* indigne sumentis eucharistiam permittere potuit, ut tam horrendum sacrilegium, et brevi post secuta miserima *Iudae* mors omnibus posteris esset horrore et terrori, ne simile facinus unquam attentare audeant. Ob has igitur aut alias causas Deo-homini cognitae dictum *Iudae* sacrilegium permitti potuit, et permissum est.**

211. DICES II. Deus non est causa alicui, quod deterior fiat: sed si *Iudas* eucharistiam a Christo accepisset, ex hoc factus esset deterior, quia sumendo peccasset: ergo Christus eucharistiam ei non dedit.

(1) Ibidem, tom. 3. Sermo de prodicione *Iudae*, pag. 544.

(2) In 4, dist. 11, loc. cit. ad 2.

(3) Matth. c. 7, v. 6.

(4) Loc. cit. ad primum.

R. cum s. *Thoma* (2) dicente: *Christus non dedit causam nec occasionem Iudae peccandi, sed (potius) peccatum evitandi ex mansuetudinis suae ostensione ad ipsum: sed ipse (Iudas ex propria malitia) ex vitali medicina sumsit periculum mortis.*

212. DICES III. Christus implevit, quod mandavit: sed (3) mandaverat, *sanctum non esse dandum canibus*: ergo ipse non dedit *Iudae* corpus suum sanctissimum. R. iterum cum s. *Thoma* (4), et dico, *quod quamvis Iudas in veritate canis esset, tamen non in manifesto, et ideo noluit (Christus) eum detegere coram discipulis, ne desperationem incurreret, et sic liberius peccaret.* Addo ego: Neque etiam voluit *Iudam* a mensa eucharistica sub alio praetextu, et non detecta eius malitia, remove, sed ipsi dare eucharistiam ob rationes supra (5) allegatas.

213. DICES IV. Christus praevидit, *Iudam* indigne sumpturum eucharistiam: ergo hanc ei dare non potuit. R. conc. ant. neg. cons. Deus ab aeterno praevидit, *Iudam Iscar.* et alios reprobos sua libertate, et etiam gratia supernaturali abusus in suam ruinam, et tamen haec dona illis dare potuit et dedit, ac dat salva sua sanctitate et sapientia: ergo a pari. Item Christus *Iudam Iscariot.* ad officium apostolatus elegit, etsi praeviderit, hanc electionem horrendam *Iudae* ingratitude, qua Christum prodidit, consecuturam: ergo pariter salva sua sanctitate et sapientia eucharistiam *Iudae* dare potuit, etiamsi *Iudam* indigne hunc sacrum cibum sumpturum praeviderit.

214. QUARES X. *Quomodo textus*

(5) Num. 210. — Caeterum, ex Matth. c. xxvi, 25-26; Marc. c. xiv, 21-22, colligi potest *Iudam* discessisse ante Eucharistiae distributionem. V. la citata *Vita di Gesù*, pag. 546-548. Nota Editoris.